

Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν.

*Dissertatio Philologica*

*De*

*Oraculo a Salvatore Editio*

*Matth. XXIV. 15.*

---

Quam

*Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi.*

*Publice Examinandam Siftunt*

*Nicolaus Johannes Kekoni*

*Phil. Mag. Stipend. Ekestub.*

Et

*Erlandus Rosenback,*

*Stipend. Reg.*

*Satacundenses.*

*In Audit. Majori die XIX Mart. MDCCLXXXVIII. 1788.*

H. A. M. S.

---

*Aboæ, Typis Frenckellianis.*

Matth. XXIV. 15.

Όταν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τῷ προσφίτῃ, ἐπὶ τὸ ἐν τόπῳ ἁγίῳ (ὁ ἀναγνωσκῶν νοεῖτω).

Marc. XIII. 14.

Όταν δὲ ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τῷ προσφίτῃ, ἐπὶ ὅπου ἔδει. (ὁ ἀναγνωσκῶν νοεῖτω) τότε οἱ ἐν τῇ Ἰερουσαλὴμ φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη.

Luc. XXI. 20.

Όταν δὲ ἴδητε κυκλωμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἰερουσαλὴμ, τότε γινώτε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς.

---



§. I.

**R**em priusquam ipsam nobis explicandam sumamus, quædam, occasionem & scopum dicti a Salvatore O. M. prolati & in dissertationis nostræ rubro indicati, illustrantia, præmittenda videntur. Vehementer graviterque cum multa investus esset Christus in scelestos & tetros Judæorum mores, quod scil. majorum suorum insatiabilem & immanem quantam crudelitatem in fidelissimos Dei viros, quos ingenti sua bonitate & clementia ad eos miserat, non imitarentur tantum, sed illos etjam longe multumque superarent, quum ipsum Mundi Salvatorem, Filium Supremi Numinis flagitiosissime cruci truculentissimæ suffixum trucidaturi essent; hinc futurum dixit, ut horrendum ipsis instaret supplicium: inprimisque magno cum dolore illis imminentem denunciavit templi ruinam (a), *ιδού* inquit *ἀφίσταται ὑμῖν, ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος*. Hac audita denunciatione, mærore & tristitia tam miserandæ cladis commoti, æque ac in stuporem versi Discipuli ejus ad accuratiorem hujus rei declarationem expetendam totum converterunt animum. Quo fine, una cum

---

(a) Matth. Ev. Cap. XXIII com. 38.

Magistro suo e templo exeunt, id ut digito monstraturi, subsidioque illo adhibito, vel ei distinctius dolorem aperirent magnum & incredibilem, quem ex oratione ipsius conceperant, vel animum ejus mitem & exorabilem misericordia commoverent, vel quid ab illo elicerent, quod mitigare istum dolorem forte quodam modo posset; siquidem tantum esset opus, exstructissimum & ornatissimum, quod edito jam oraculo suo brevi desolatum iri prædixit. Loco vero responsionis accipiunt, quæ sollicitudinem eorum non confirmarent solum, sed & fortius intenderent, judiciumque Dei exaggerarent: (b). *ὃ μὴ ἀφεθήτωδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὅς ἐ μὴ καταλυθήσεται.* Inde adeo crescit in animis illorum & dolor & percontandi ardor: *πότε ταῦτα ἔσαι;* Salvator quidem variis prius commonitionibus constantiam, fiduciam & circumspectionem eorum excitat, corroboratque, præcipue eos, ne præjudiciis se ipsos fallere Judaicis paterentur, venturi agminis *τῶν ψευδοχρίστων*, multos variis signis, quæ præ se ferre conarentur, seducturorum, admonet; quum etiam ad aures eorum rumores bellorum pervenirent, & fames, pestes, terræque motus increbrescerent, has calamitates, initium tantum prædictæ cladis non vero finem facturas esse, docet, sed sensim magis magisque eas, inprimis proxime sub excidium urbis & templi Hierosolymitani augendas, præcipit, futurumque adeo superaddit, ut & ipsi

---

(b) Matth. Cap. XXIV. c. 3.

ipſi antea exagitantur & neci darentur a Judæis, quo alte modius crudelitatis quorundam eorum ſanguine impleretur; quæ tamen omnia non impedirent, quominus Evangelium omnibus in Judæa vitam degentibus annunciaretur; quocirca tandem exclamat (c): ὅταν ἔν ἴδῃτε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δαυιδ τῆ προφῆτε, ἐς ὡς ἐν τόπῳ ἀγίῳ (ὁ ἀναγινώσκων νοεῖτω). atque tunc eos ſcire debere funera illa extrema adesse. Quantus autem & quam diverſus ſit, in exponendo & interpretando horum verborum ſenſu, numerus & veteris eccleſiæ doctorem & recentioris ævi philologorum, ſuccincte expoſuit *Cel. Volfius*, (d) ad quem harum rerum ſtudioſos delegamus; longum enim foret, ſi omnes eruditorum ſententias etiam incertas & inanes falſasque huic loco obtruſas, in orcheſtram producere vellemus; ſatis pro inſtituto noſtro habentes, ſi nonnullas eaſque primarias ſignificaverimus & tandem noſtram ex ſenſu Evangelici Scriptoris & ſuffragio rationis, arte interpretandi grammatica & dialectica uſtentis, exhibuerimus.

§. II.

Ut & ordine & via, quam indicavimus, procedamus, primo omnium eorum perluftramus caſtra, oportet, qui longius a Salvatoris mente nobis reſceſſiſſe videntur. In quibus, primo loco nominamus, tota er-

A 3

ran-

---

(c) Matth. XXIV. 15. (d) *Cur. Phil. & Crit. Tom. I. pag. 341-344.*

rantem via, *Gregorium Nazianzenum*, cujus hæc sunt: (e). βδέλυγμα ἐρημώσεωσ, Φασίν, ὅτι ὁ ναὸσ, ὁ ἐν Ἱεροσολύμοισι οἰκοδομηθήσεται ὑψερων, ὡσ τῆ Ἀντιχρίστῃ πι-  
 σευθισσομένῃ ὑπὸ Ἰεδαίων χριστῆ εἶναι, καὶ καθεσησομένῃ, καὶ  
 δοξοντοσ ὅλησ τῆσ οἰκεμένησ εἶναι βασιλέωσ, ἣξῃ δε ἐπ' ἐρη-  
 μιά τῆ κόσμῃ. Quisquis autem scripta historicorum  
 tum sacra tum profana vel fugitivis oculis inspexerit,  
 eam fugere non potest, templi Hierosolymitani tertii  
 exstructionem tentatam quidem a Judæis, nunquam  
 vero ad umbilicum perductam fuisse. Hac igitur de  
 sententia, siquidem nullo plane fundamento, nisi con-  
 fusione idearum parum distinctarum, quas sibi veteris  
 ecclesiæ doctores, quos appellare solent *Patres*, finxe-  
 runt de Antichristo (f) ejusque origine judaica, & ge-  
 nere e tribu Dan oriundo, nec non de adveniendi tem-  
 pore illius, imo excidii Hierosolymitani cum fine mun-  
 di commixtione, nixa, nihil est, quod plura comme-  
 moremus, cum hodie etjam inter omnes perspicuum  
 fit constetque de Anti-Christo verba Salvatoris non  
 posse intelligi.

§. III.

Aliam vero majore probabilitate περὶ τῆ βδέλυγμα-  
 τοσ ἐρημώσεωσ sententiam, quidam alii e *Patribus* fove-  
 runt, quos *Svicerus* enumerat, (g) quibus etjam nu-  
 mero

---

(e) Orat. XLVII. circa fin. pag. 724. (f) Quas legat,  
 qui lubet, apud *Svicerum* in *Thef. Eccl.* pag. 389-393.  
 (g) *Thef. Eccl.* in voce βδέλυγμα.

mero haud pauci recentioris ævi Philologi præstanti ingenio consensere, eo, ut Svidas refert (h), intelligentes, vel *εἰκονας τινας ἀπιγορευομένας τῷ νομῷ Ἐἰν τῷ ἱερῷ ἐν τῷ ἱερῷ ἐν τῷ ἱερῷ*, *templum illatas a Pilato*, vel *τὸν ἀδριάνε τῆ βασιλέως ἀνδριάντα*, *Hadriani Imperatoris statuam*, quam Hieronymus, (i) *in ipso Sancto sanctorum, suo adhuc tempore, stetit*, tradit. Neque quosdam eorum ignoramus, eodem Svida teste, hæcce verba de Antiocho Epiphane Syriæ Rege interpretatos esse, *qui urbe Hierosolymorum capta, Ἐἰν ὀδοδεκίμῃ Ἰουδαίων μυριάδibus trucidatis, ausus fuerit ingredi εἰς τὸ ἁγίασμα ἐν ὑπερφανία πολλῇ, ibique erexit βωμὸν καὶ εἰδῶλον, βδέλυγμα ἐρημώσεως Ἐἰν τῷ ἱερῷ ἐν τῷ ἱερῷ ἐν τῷ ἱερῷ*, *templum contaminarit δι' ἀκαθάρτων θυσιῶν illudque Ἱερον Διὸς ὀλυμπιε nominarit*. Verum enim vero hanc ultimam sententiam toto cælo ab analogia orationis distare, nemo non intelligit, quum hoc antequam dictum, oraculumve a Salvatore editum, jam confectum fuerit; prorsus adeo inane, tempus frustra huicce commento refellendo infumere ducentes. Ad Imagines vero a Pilato in templum illatas & Hadriani statuam, quod attinet, paulo quidem attentius rem consideranti, fieri nequit, quin facile pateat, nec hoc ipsum magni momenti esse, quocirca simul tamen apparet, verum de Hieronymo iudicium *beat. Lutherum* quondam tulisse, (k) cum diceret, *eum sanius interpretari scripturas obiter*

---

(h) In Gloss. sub v. *βδέλυγμα*. (i) Comment. ad h. l.  
 (k) In Epist. Tom. I. pag. 27.

*obiter, quam ex industria.* Cui etiam assensus est *Cel. Ernesti* (1). *Josephus* accuratissimus Antiquitatum rerumque Judaicarum scriptor mentionem quidem facit (m), Pilatum præsidem Judææ, ignaris omnibus, signa cum effigie Cæsaris, Hierosolymis collocasse; quod cum cognoscerent cives, magno agmine supplices petiisse, ut ea transferret alio; illum vero abnuisse primum, deinde tamen precibus assiduis, constanteque legum studio victum, deduci Cæsaream jussisse. Ex quo imagines illas, facile cuicumque visu, contra Hieronymi & aliorum asserta, non in templum quidem illatas fuisse, nec adeo ἐν τὸν τόπον ἅγιον, quo nomine anteriorem templi domum, quæ, προπύλαιον, πρόδομον, quasi anteriorem sequebatur, signavere, quam tandem ἅγια ἁγίων seu *Sanctum sanctorum* excipiebat (n) quod Paulus σκηνὴν μετὰ τὸ δεύτερον καταπέτασμα (o) vel σκηνὴν δεύτερην (p) nominat. Nec tamen hinc ita erit præsumendum, quasi nos hocce Matthæi loco per τὸν τόπον ἅγιον intelligeremus templum ipsum vel aliquam ejus partem, quippe quam explicationem cum historia non congruere ex infra dicendis patebit. Sed ad rem. Debuisset βδέλυγμα ἐρημώσεως quam proxime cum vastatione templi cohærere, annunciarique Evangelium prius per ὅλην τὴν οἰκωμένην, quam destructio ea incideret, clare

---

(1) Institut. Interpr. N. T. Part. II pag. 141. (m) Antiqu. Lib. XVIII. cap. 4. (n) Conf. Pritii Introd. in N. T. pag. 544 & 546. (o) Epist. ad Hebr. cap. IX. c. 3. (p) Ib. IX. c. 7.



clare & perspicue docent antecedentia Salvatoris apud Matthæum verba. Quia vero vastatio facta est, summam imperii Romani *Vespasiano* tenente, utique de *Pilati* tempore & imaginibus hisce decerni nequit, inprimis, dum Cæsaream easdem *Pilatus Hierosolymis* reportasset, neque usque ad tempus exitio & vastitati destinatum in urbe mansissent. Porro quod ad τὸν ἀδριάντα τῆ βασιλέως ἀδριάντα attinet, de hac quidem statua *Zvingerus* (q) ita memoriæ prodit: *Hadrianus Cæsar, Hierosolymam pridem everfam rursus habitari iussit, atque Æliam Capitolinam appellavit. Jovi etjam ex adverso templi ædem excitavit in aditu quondam templi, statuamque suam equestrem dedicavit. In loco resurrectionis Christi simulacrum Jovis, in crucis vivificæ rupe statua Veneris marmorea a Deorum cultoribus posita est. Et ubi Christus terrarum Deus natus esset, cultus Adonidis Amasii Veneris institutus est.* Hinc et *Laur. Lyra* statuam hanc equestrem βδέλυγμα ἐρημώσεως esse, arbitratus est (r). At seipsam hæc quoque sententia nexui dictorum contrarians, destruit, fastigioque suo dejicitur; quia βδέλυγμα ἐρημώσεως præcedere interitum Hierosolymorum oporteret, tanquam signum, quo viso, pii salutem fuga petere, discerent. Sed historia statuæ illius *Hadriani* in annum circiter centesimum post natum Christum incidit, cum jam dudum urbs & templum interiissent.

(q) Vid. Franzium de interpr. S. S. pag. 1147. (r) Comment. ad h. l.

## §. IV.

Placuit denique aliis eruditionis laude præclaris Philologis, et jam posterioribus seculis, βδέλυγμα ἐρημώσεως per *effigiem Caji Caligulae* interpretari, quam collocatam fuisse in loco sancto tradunt viri eruditi (s). Sed neque veritas huic inesse potest assertioni, cui præter laudatum antea a nobis *Josephum* (t), et jam *Philo* (u), *Tacitus* (v), *Eusebius* (x), & *Orosius* (y) obnunciant; quippe qui singuli uno ore affirmant, *Caligulam*, ut Judæis infestissimum, conatum quidem fuisse suam in templo effigiem locare, verum interveniente morte impeditum, consilium non implevisse. Ex his igitur omnibus historicis, luce meridiana clarius constat, in templum ipsum, nedum Sanctum sanctorum, nullam unquam importatam fuisse & stetisse effigiem vel *Tiberii*, vel *Caligulae*, vel *Hadriani*, vel *alicujusvis*.

## §. V.

Neque tamen magnopere mirandum erit, parum artis criticæ peritos, notitia hebraismorum destitutos & varia vocis τὸ βδέλυγματος significatione deceptos, **iq** interpretando Sanctissimi Salvatoris effato peccasse quamplurimos. Quod si Lexica evolvere, etiam maxime

---

(s) Quos nominatos vid. apud Outhovium in Biblioth. Brem. Class. III. p. 629. (t) Antiqu. Jud. L. XVIII. cap. 10 & 11. (u) De leg. ad Cajium, non longe a fine libri. pag. 649. (v) Annal. Libr. XXI. (x) Hist. Eccles. L. II. cap. 6. (y) Hist. ad Aur. Aug. Lib. VII.

me vulgaria velis, hanc vocem significare proprie quamcunque rem detestandam, execrandam, abominandam reperies. Hinc nomina factoris, fæditatis, fastidii, nausæ promiscue illi adposita, æque ac cognatæ βδελυγμία apud Xenophontem. Unde Jul. Pollux (z): τὸ δὲ αἰτ' ἐπὶ τῷ κόρω δυσχεραίνειν, βδελυγμίαν Ξενοφῶν καλεῖ, h. e. sed propter satietatem aliquid fastidire nauseam Xenophon vocat. Natales suas ducunt hæc vocabula a verbo βδελύσσειν vel βδελύττεσθαι abominari, fastidire & averſari quo sensu occurrit in loco Aristophanico (a):

- - - νῆ τὰς Θεῶς, ὅν εκ ἰδῶν  
βδελύττομαι τὸν λέπρεον ἀπὸ Μελανθίῃ

Per Deos, quamvis istum non viderim, detestor Lepreum a Melanthio fabricatum. Translate, ponitur pro σημεῖον, ἐκτύπωμα, simulacrum & signum. Ideoque Judæi, qui præsertim post captivitatem Babylonicam, effigies, simulacra, & statuas cujuscunque generis, ut res maxime detestandas habuerunt, eas nomine τῆ βδελύγματος notarunt, teste Suida: βδελυγμα, πᾶν εἶδωλον καὶ πᾶν ἐκτύπωμα ἀνθρώπου, ἕτερος ἐκαλεῖτο παρὰ Ἰεδαίοις; ex quo etjam fonte omnis error & falsa interpretatio orta est. Interpretes, quin hoc loco circa vocis hujus significationem saltum fecerint, neglectaque propria significatione, cujus nostro quidem judicio hic ratio habenda, ad tropicam & translata[m] provolarint, dubitari vix

potest. Oraculum certe Salvatoris, in quo enucleando versamur, Emblematicum est. In Emblematicis vero proponuntur res sensu faciles perceptu, quæ externa pictura repræsentari possunt, in quibus tamen aliquid latet, quod explicatione & adplicatione denique exponendum est, cumque ἐρημώσις *desolatio, vastatio*, pingi debeat, necesse est, ut etiam βδέλυγμα, quæ desolationis qualitatem continet, pictura exprimenda sit. Hic autem omnino poni debet significatio propria, quæ in *horrendo, detestando, averfando* sita est, quo nihil aptius, facilius, planius, cum addito primario vocabulo ἐρημώσις, congruere posse, animadvertat, oportet, qui ad rem rite uti fas est, attenderit. Quum vero ad litteram βδέλυγμα ἐρημώσεως junctim sumtæ voces, non *abominabilem vastationem sed abominationem vastationis*, valeant, e re non alienum videtur, hic paucis monere, apud Hebræos tritissimam esse regulam, qua, dum duo *substantiva* per regimen constructa concurrunt, alterutrum eorum *adjectivi* naturam induit, in novi etiam fœderis scriptis usitatissimam; ne igitur quid gratis dixisse videamur, hoc assertum idoneis demonstrasse exemplis, ex ipsis N. T. ti pandectis decerptis, non poenitebit. Hujusmodi exempla sunt Matth. V. c. 22. τὴν γέενναν τῆ πύρος *Gehenna ignis*, pro *gehennali igne*. Luc. XVI. c. 8. Οικονόμον τῆς ἀδικίας, *oeconomum injustitiæ* pro *oeconomo injusto*. Ib. c. 9. μαμωνά τῆς ἀδικίας *mamon iniquitatis* pro *mamone iniquo*. Rom. VII. 24. ἐκ τῆ σώματος τῆ θανάτε τέτε, *de corpore mortis hujus* pro

*corpore hocce mortali.* Ib. Cap. IX. c. 31. Νόμον δικαιοσύνης *legem justitiæ pro legali justitia.* 1 Cor. I. 21. διὰ τῆς μαγίας τῆ κηρύγματος *per stultitiam prædicationis pro stulta prædicatione.* Ebr. I. 9. μυστήριον τῆ θελήματος αὐτῆ, *mysterium voluntatis suæ pro arcana voluntate sua.* Et plusquam sexcenta alia, quæ apud scriptores de hebraïsmis cum universis, tum Novi Testi proprie, Vortium imprimis, Leusdenium & Gatakerum invenienda sunt. Nihilo tamen minus viros eruditos, quorum opera *Versiones veteres Latinas* habemus, verborum græcorum plus justo tenaces fuisse, (b) res ipsa loquitur, servatis quippe græcis generibus, casibus, numeris, temporibus & constructionibus, contra grammatica præcepta. Unde clarum est, ut Cel. Ernesti verba (c), nostra faciamus, eos, aut non satis græce vel potius latine doctos, aut, quod fortasse propius fidem est, stulta quaedam & judaica superstitione laborasse, atque adeo *Ex-Judaos fuisse.*

## §. VI.

Quis autem sensus nunc Emblematis hujusce verbis insit, in promptu erit, dum locum Danielis, ad quem ipse apertis verbis commonstrat: τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τῆ

προ-

(b) Svecus etjam Metaphrastes reddit: Μὰρ Ἰ sen förödellens stygge, cum tamen debuisset transferre: Μὰρ Ἰ nu sän se then förödande stygge, ut in recentissima interpretatione vernacula recte hic locus expressus est. (c) Inst. Int. N. T. Part. II. cap. IV.

προφῆτα inspiciamus, nec non in auxilium verba voce-  
mus luculentissima & parallela Lucæ, Cap. XXI. com.  
20. Propheta Daniel Cap. IX. v. 25. vaticinatur Hie-  
rosolymam a Nebukadonofore Babylonice Rege destru-  
ctam iterum ædificatum iri & ædificatam mansuram;  
usque ad Messiam Ducem, temporaque rei hujus con-  
sumandæ exacte definit. Porro v. xxvi. pergit vates  
atque edocet, eundem ipsum, certo tempore & defixo  
peracto, quem diu expectarint Patres, crudeliter tru-  
cidandum esse, instar hominis scelestissimi, quamquam  
omnis culpæ infontem; proinde populum Ducis h. e.  
*Romanum* venturum, executurumque illud supplicium  
& urbem ipsam hætenus restauratam, in Messiam in-  
gratissimam, sanctuarium quoque, imò totam simul Ju-  
daicam Rempublicam igne, mediisque aliis pessundatu-  
rum. Denique v. xxvii. prædicit primo hostias & fa-  
crificia defectura esse, in fine vero commatis:

וְעַל בְּנֵי אֲרָצוֹת עַמֵּי הָעוֹלָם

h. e. secundum Vulg. Int. & erit in templo abominatio de-  
solationis, sed potius: *Et juxta oram vel extremitatem abo-  
minationum erit vastans vel vastator.* Quæ verba Salva-  
torem sine dubio respexisse, in propatulo est, tum ex  
collatione argumenti utriusque textus, cum harmonia  
egregia & clara verborum Danielis & Matthæi. Hic  
vero sub voce וְעַל בְּנֵי אֲרָצוֹת עַמֵּי הָעוֹלָם non incommode intelligitur exer-  
citus Romanus, indicatus jam superius voce *populi*  
Ducis venturi, urbem devastaturi & sanctuarium. Et  
sicut alias Deus ipse de se utitur vocabulo וְעַל בְּנֵי אֲרָצוֹת עַמֵּי הָעוֹלָם *deso-  
labo*

*labo sanctuaria, festa, terram &c.* Lev xxvi. 31. 22. Ez. xxx. 12. & c. ita hic minister, decreta exequens divina appellatur eodem nomine, de quo prædicitur, quod sit exiturus *juxta oram abominationum* h. e. in confinio quasi vel proxime, ubi exituræ sint abominationes. Ita namque nomen חַרְבֵּי tam *alam* denotat avium v. c. *columbarum* Psalm. LV. c. 7. 8. *Ciconiarum* Zach. V. 9. & c. quam *extremitatem* v. c. *Vestium* 1 Sam. XV. 27. Ibid. XXVI. v. 5. 6. 12, item *terræ* Job. XXXVII. 3. Ibid. XXXVIII. 13. &c. Deinde nomen אֲבִימִיּוֹן est *res abominabilis* nauseam vel horrorem intuenti creans, instar immundi cibi, carnis fuillæ, idoli & h. l. præcipue, crudelitatis & cultus idololatriæ Romani exercitus, signorum etiam militarium, vexillorum loco in castris Romanorum usitatorum (d). Notandum vero contra non paucos voces חַרְבֵּי אֲבִימִיּוֹן coherere per regimen, vertendasque idcirco: *juxta alam vel oram abominationum*; adeoque per חַרְבֵּי nequaquam intelligi posse Cherubi-

---

(d) Singulis enim in legionibus Romani habuerunt Aquilam ex argento primum, postea ex auro, summæ hastæ insistentem alis expansis & pede fulmen aureum tenentem. Signa vero in legione tot fuerunt, quot cohortes h. e. decem. Hastis iis oblongis in summitate breve lignum transversum appositum erat, instar crucis. Adjunctæ his fuere Cæsarum imagines. Aquilæ illæ militum fuere numina, adeo ut eas adoraverint ac per eas juraverint. Cfr. Lipsii Annot. ad Tacitum. Hæc omnia Judæi absque execratione & horrore intueri nequivisse ex iis, quæ supra docuimus, luculenter patet.

rubinos, nisi hos ipsos sub voce *abominationum* designatos opinemur, quæ sane mens Prophetæ esse non potuit. Id quod etiam dicendum de illis, qui per  $\eta\sigma\sigma$  intelligunt templum, ob pinnas, sc. quibus instructum erat, vel quia utrinque habebat latas, longasque porticus, tanquam alas expansas, adeo ut videri potuerit alatum. Utut enim in textu nostro Matthæi mentio fiat  $\tau\tilde{\epsilon}$  τόπος ἁγίος, neque tamen cum *Alexandrino* & *Vulgato interprete* fictenendum, ut locus hic sanctus memoretur etiam apud Danielem; verum Christus solum declarat, ubi  $\beta\delta\epsilon\lambda\upsilon\gamma\mu\alpha$  ἐρημώσεως a Daniele prædictum debeat observari, videl. in loco sancto h. e. circa urbem vel templum: ὁ τόπος namque accuratissime mox versu sequente exponitur per nomen generale: ἐν τῇ Ἰερουσαλὴμ & a Marco loco suo parallelo Cap. XIII. 14. per ὅπου εἰ δεῖ, quæ verba respondent τῷ τόπῳ ἁγίῳ, quousque non debebat hostis penetrare, vi promissionum divinarum, si populus Judaicus in obedientia sua permanisset. Per quem ergo locum non potest cogitari de templo Hierosolymitano, quia, quod si ibi jam staret vastator, non poterat amplius esse signum venturæ cladis & fugæ capiendæ, sed præsentissima clades & πανολεθρία. Hinc & participium *κυκλωμένην* apud Lucam reddendum non *circumdatam* sed *circumdandam ab exercitibus Hierosolymam*, sensus ratio postulat. Ita jam verba Danielis hunc Emblematis sensum efficiunt: *Et juxta oram vel extremitatem abominationum*: h. e. circa urbis vel templi muros, ubi abominationes, nim. crudelis & idololatricus exercitus



citus Romanus castra sua positurus & cum signis suis volaturus, extituræ sint, *erit vastator*, ipse nim. exercitus Rom. Cui sensui adeo etiam textus noster consentire debet; ita interpretandus: *Quum igitur videritis abominabilem vastationem* (sc. Exercitum illum Romanum) *prædictam a Daniele Propheta, stantem in loco sancto* (castra ponentem, signaque militaria explicantem circa urbis & templi Hieros. muros) *qui legit, intelligat.* Nec vero aliam, nisi hanc ipsam interpretationem admittunt, & ut verissimam edocent atque confirmant clarissima Lucæ verba, a nobis in auxilium vocata: *ὅταν δεῖδιτε κυκλωμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλήμ, τότε γινώτε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρημώσις αὐτῆς. Quum vero videritis, circumdandam ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote, vastationem illius imminere.* Quibus verbis, cuique interpretationi fides habeatur, oportet, nisi θεοπνευσίαν Evangelii a Luca conscripti, in dubium vocaveris aut verbis hisce significationes alias linguæ græcæ contrariantes & ignotas intruferis! Veritas igitur inconcussa & extra dubitationis aleam posita est & manet, Salvatorem nostrum benignissimum per βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως voluisse designare exercitum Rom. tanquam signum cladis futuræ, omnesque admonere, qui sibi fidem haberent, ut ex quo res talis primum appareret, salutis suæ consulere, fuga celerrime capta. Conatur enim, ut hæc ardua sunt omnia, attentionis studium erigere, proverbio apud Hæbræos trito: ὁ ἀναγινώσκων νοεῖτω, eodem modo ac, ὁ ἔχων ὄψα ἀκβέτω, ἀκβέτω pluribus

busque his similibus, quæ variis in locis pandectorum Sacr. occurrunt; ita, ut omnes ingenii nervi intenderent, nec quicquam velut obiter dictum prætermitterent. Christianos quoque, oraculi Salvatoris admonitos, tempestitiva fuga salutem petiisse trans Jordanem in oppidum Pella, testatur *Eusebius*.

S. VII.

Finem vero antequam opellæ nostræ qualicumque imponamus, paucis adhuc discutiatur, necesse est scrupulus haud levis occurrens in verbo ἐξως repetito etiam apud Marcum l. c. Plurimi & tantum non omnes referunt innoxie ad præcedens τὸ βδέλυγμα, non attendentes aut curantes repugnare ei genus *Masculinum*, atque ita requiri genus *neutrum* ἐξως sicut præcedit τὸ ὀργῶν. Id pervidens *Joh. Millius* illud ipsum in textum splendidæ suæ *Editionis* utrobique intulit, suffragio & auctoritate paucorum tantum *codicum* & nonnullarum *Editionum* nixus (e). Hæc igitur ἐπέρωσις generis in universis fere *Codicibus* & *Editionibus* probata, magis sollicitos habuit duumviros doctissimos, videlicet *Joh. Fred. Homberckium* (f) & *G. L. Oederum* (g), qui τὸ ἐξως propterea construxerunt eum sequentibus, sed non feliciter. Ille ita: *quando videritis abominandam illam vastationem, quæ prædicta est a Daniele propheta, tunc ille, qui stat in loco sancto* (*Lector mentem avertat*) Hic vero: *cum videritis igitur abominabilem rem, desolantem-*  
que

(e) Conf. *Versteinii* & *Griesbachi* *Lectiones* var. ad h. l.

(f) In *Parerg. Sacr.* (g) In *Obf. CCXLI. Tom. XII. Misc. Lips.*

que de qua dictum est a Daniele Propheta: qui in loco sancto stat lector animadvertat. Circa primam quidem interpretationem, utut peculiarem, epicrisi mea qualicumque superfedere possum, quum doctiore jam defunctus sit *Gottfr. Olearius* (h). Sed ad alteram novissimam liceat paucis monere: duram admodum, mutata parenthesis, evadere apostrophen ad prælectorem in templo Hierosolymitano, quum oratio Salvatoris admonitoria non instituatur ad promiscuum cœtum, cui interfuerint Pharisei & scribæ, verum ad solos discipulos, occasionem ei quæstione præbentes. Quid autem nunc fiet de *Participio ἐσῶς*, si neque novâ hæc suscipi poterit interpretandi ratio? tutissimam ei quæsit *Olearius* ex hebraismo, in quo *neutrum* exprimitur quoque per *genus masculinum*; cui vero protinus opponitur anomalia *casus*, quum dicendum fuisset ἐσῶτα & quidem recte, si secundum leges grammaticas iudices, ad quarum verò rigorem unaquæque lingua non ubivis se patitur adstringi, sed hinc inde peculiaribus gaudet suis idiotismis, sua syntaxeos libertate. *Frans. Vigerus* notat, apud *Atticos esse creberrimas casuum mutationes* (i). Sic a Nominandi casu ad quartum temerarius fit transitus apud *Ælianum* V. H. Lib. II. cap. II. init. Σωκράτης ἰδὼν κατὰ τὴν ἀρχὴν τῶν τριάκοντα τῆς ἐνδόξης ἀναιρεμένους, καὶ βαρύτερα τῆς πλετῆντας ὑπὸ τῶν τυράννων ἐμιβλεπομένους, Ἀντισθένην Φασὶ περὶ τυχεῖντα εἰπεῖν. *Socratem videntem, impera-*

(h) Obs. ad h. l. (i) Libro suo aureo de Idiotismis græcæ dictionis præcipuis Cap. III. Sect. I. reg. 1.

*perantibus triginta tyrannis, summos viros interfici & divites gravissimis incendiis a tyrannis peti, in Antisthenem infidentem dixisse ajunt. Ubi Σωκράτης ἰδὼν exstat pro Σωκράτην ἰδόντα. Contra ab Accusativo ad Nominativum transit Homerus Il. B. vs. 350.*

Φημί γάρ ἐν κατανεῦσαι ὑπερμένεα Κρονίωνα  
 Ἥματι τῷ, ὅτε νηυσὶν ἐπ' ἀκυπόροισιν ἔβαινον  
 Ἄργεῖοι, τρώεσσι Φόνον καὶ κῆρα Φέροντες,  
 ἀσράπτων ἐπιδέξι, ἐναίσιμα σημάτα Φαίνων.

*Ajo enim, Saturnium potentissimum annuisse illo die, quo citas naves conscenderunt Argivi, Trojanis caedem & fata ferentes, vulgurantem dextra, fausta signa ostendentem. Ubi ἀσράπτων & Φαίνων non bene respondent præmissis Accusativo Κρονίωνα. Cujusmodi ἀκαταλλήλως posita invenies etjam in N. T. v. c. Epist. ad Rom. Cap. II. com. 8. Apoc. I. com. 5 & 6. Ἀκατάλληλα enim ejusmodi, conveniunt comicis, aliisque familiarem sermonem hominum, qui non raro, dum loquuntur, aliudque animo occurrit, dicendi genus mutant, imitantibus (k).*

Δόξα ἐν ὑψίσις Θεῶ.

(k) Dignissima est, quæ de hoc rerum genere legatur Cæl. Ernesti diatr. de grata negligentia.